

30  
I. M. N. 7.  
DISSERTATIO PSYCHOLOGICA,  
DE  
**ANIMA  
CHRISTI,**

QUAM,  
*Consensu Ampl. Facult. Philos. in Regia Aboæ Florentæ  
Academia,*  
Sub **UMBONE**

*MAXIME REVERENDI atque CELEBERRIMI VIRI*

**D. NI CAROLI  
MESTERTON,**

**S. S. Theol. DOCT. Log. & Metaphys. PROFESS.**  
Reg. & ORD.

**PRO HONORIBUS PHILOSOPHICIS  
RITE OBTINENDIS,**

*Publicæ ventilationi modeste subijcit,*

**CAROLUS SCHÆFFER,**

*V. D. M.*

*AUSTRO-FENNO.*

**In Audit. Super. die IV. Julii A:ni MDCCLX.**  
H. A. M. S.

---

**ABOÆ,** Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.  
Finland. **JACOB MERCKELL.**

S:Æ R:Æ M:TIS  
MAXIMÆ FIDEI VIRO  
REVERENDISSIMO PATRI ac DOMINO,  
**D: NO CAROLO  
FRIDERICO  
MENNANDER,**

S. S. Theologiæ DOCTORI  
Consummatissimo,  
Inclitæ Diœceseos Aboënsis EPISCOPO  
Eminentissimo,  
Regiæ Ibidem Academiæ PRO-CANCELLARIO  
Magnificentissimo,  
Venerandi Consistorii Ecclesiastici PRÆSIDI  
Gravissimo,  
Scholarum per Diœcesin EPHORO  
Vigilantissimo,  
Regiæ Scientiarum Academiæ Svecanæ MEMBRO  
Dignissimo,  
MÆCENATI SUMMO.

**Q**uanto excellentius TE, REVERENDISSIMÆ  
PRÆSUL, donis naturæ eruditionisque profun-  
ditate & summis in Patriam, Ecclesiam & Aca-  
demiâ nostram meritis, nec non cura illa, de  
singulorum salute promovenda, plane mirifica exor-  
natum

*natum voluit Summus rerum Moderator; tanto quoque eminentius, & adinstar Solis, elucet NOMINIS TUI celebritas, adeo ut omnes in orbe præsertim literato, maxime vero totus Clericorum chorus, certatim ILLUD omni, quo possunt, nisu venerentur atque colant. Ne itaque succenseas, MÆCENAS SUMME, neve mireris, quod & ego, minimus licet eorum, fulgore tamen EJUS summo proxime radiatus, Animam Christi, Servatoris, uti dulcissimam viclimarum dignissimamque, quamvis sine ullis, quod anxius doleo, verborum purpurissis, rudi- que admodum minerva adumbratam, ad aram NO- MINIS TUI REVERENDISSIMI sacram humillimus immolare ausus sim. Quam si, quod devotissimus oro, vultu, quo soles, gratioso excipere digneris, ceu obsi- dem devotionis meæ atque reverentiæ erga TE, uti pro- fundæ, ita & nunquam desituræ, certissimum, utique me nunquam feliciorum predicari posse video. Meum de cetero erit ardentissimis compellare precibus Numen sanctissime colendum, dignetur TE, REVERENDISSI- ME PRÆSUL, ad terminos usque mortalitatis longe felicissimum conservare, jubeatque sero admodum criri diem, quo Patria tantum Culmen, Ecclesia Splendidis- simum Lumen, Res Literaria gravissimum Governato- rem, & familia Tua Nobilissima Fulcrum validissimum; flebit lugebitque. Ita vovens permanebo ad rogam usque*

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

*alient devotissimus*

CAROLUS SCHÆFFER.

VIRO  
MAXIME REVERENDO atque AMPLISSIMO

D: NO CAROLO  
MESTERTON,

S. S. Theol. DOCTORI, Log. & Metaphys. Prof.  
Reg. & Ordin. Utriusque Consist. ADSESSORI Gra-  
vissimo, Ecclesiarumque, quæ in Pemar Deo colli-  
guntur, PASTORI longe meritissimo,  
MÆCENATI MAXIMO.

**N**imiam admodum illa dicendorum copia, quam hic de summi  
Favoris TUI, MÆCENAS MAXIME, TUARUMQUE virtutum  
face, & propensissima gratificandi voluntate, vel ad minimam  
saltem ejus partem, depradicari jubet equitas, verbis vix ac ne  
vix quidem depingi potest. Præter namque illa Favoris TUI sum-  
mi documenta, quæ mihi cum sodalibus sunt communia, existunt  
& alia plurima mihi plane singularia atque propria, immo tan-  
ta, quanta unquam a Parente ceteroquin indulgentissimo quirent  
proficisci. Fecit quidem natura Parens, ut viverem, TU vero,  
PARENS beneficiis consiliisque alter, ut digne beateque viverem,  
curasti. Suscipe igitur, VIR MAXIME REVERENDE, humilli-  
mus obtestor, serena fronte pagellas, quas licet incomtas, TIBI  
pro Favore TUO, mihi singularissime præstito, in summa mea  
venerationis sempiternum pignus, consecratas volui. Fave su-  
plici, PATRONE Dignissime, TUO clienti, & perge, qua capisti,  
via, perge, inquam, me ducere in eum felicitatis portum, quem  
mihi TUUS Favor certo pollicetur summus. Faxit Deus T. O. M.  
ut Tu per diu felicissimus vivas, valeas, floreas. Sic voveo vove-  
boque, quoad vixero,

MAXIME REVERENDI NOMINIS TUI

Humillimus cultor

CAROLUS SCHÆFFER.

# Kongl. Maj:ts

Tro = Tjenare och *Auditeur* wid *Björneborgs* Låns Regemente  
til Fot.

Adel och Högachtad

Herr HARALD  
ALFTAN,

Min Gunstigste Gynnare.

**S**err *Auditeur*, Edra af idel ynnest mig tillföddande  
margehanda outhärliga wålgärningar hafwa så hög  
trefnad i min lyckans gröda nedlagt, at jämväl ock  
ovännen med misnöje måste kalla den stunden fall, på hwilken  
jag första gången hade den lyckan, at öfskåda Herr *Auditeurens*  
Ädla Person och lära känna des wårda egenheter. Swarsföre  
jag ock, under öfwerwägande af allt detta, nedgas billigt  
stanna uti idel wördnads djup förundran öfwer den Högsta För-  
synens milda ögonstrålar och nåderika handledande på wägen  
till Högden af all timmelig sällhet. Uptagen då Herr *Auditeur*  
med mildt anlete detta mitt, fast magra tanckar om wår  
Frälsares dyra siäl handhafwande pappersknyte, hwilket jag  
nu Eder till ett wedermåle af ett wördnads fullt och tacksam-  
sinne, för de af mig wid Edert oförtjenta godhets bord da-  
geligen åtnjutna barnrätter, i edmjukhet ufosra skall. Jag  
will ock under brinnande förböner till GUD om Eder timme-  
liga wålgång och ewiga sällhet, med wördnadsfull högachtning  
städse framleswa

Ädle och Högachtade Herr Auditeurens

Edmjukaste tjenare

CARL SCHÆFFER.

Sergeanten  
Adel och Högachtad

Herr **DAVID D. BÄHR,**

Min Synnerligaste Gynnare.




Ä jag betrachtar Herr Sergeantens mig  
skädfse ertedda ynnest; så lysér solklart /  
at jag hafwer upskurit af Eder lyfkans  
sköte en så ljuflig frucht / den der mig med all  
sümmelig hugnad kan förnöja. Ser mig och  
derföre wara nog förbunden till en wördnads-  
full årkänsla af sük Barna, rättis fulla åtnju-  
tande uti Edert Hedertwärda Hns. Hwarföre  
beder i ödmjukhet / det tackes Herr Sergeanten  
anse detta mitt Academiska Arbete / hwilket  
jag om Christi Själ med nog lätt fieder nedlagt/  
såsom en säker underpant af den stora wördnad/  
som jag ouphörligen Eder Wärda Person skyl-  
dig är. Winner jag härutinnan min åstundans  
så är jag skädfse öfwertygad om Herr Sergean-  
tens beständiga huldhet emot mig. Himlen  
giöre Edra dagar sälle och räkne dem bland  
stjernor i Högden. Framhårdar med bestän-  
dig wördnad

Ädle och Högachtade Herr Sergeantens

ödmjukaste tjenare

CARL SCHÆFFER.



§. I.

**C**hristum, etsi non merum (a), attamen verum hominem (b) nemo Christianorum est, qui nesciat.

(a) Verus enim simul Deus est, ergo non merus homo, quodque cuiusvis salvando necessarium est scitu. (b) Homo est animal, constans anima rationali & corpore organico. Hæc definitio plus quam trita ideo præmittenda, ut iisdem demonstrandis inserviat, quæ sunt subsequutura. Vi igitur definitionis adlatæ, duas partes essentielles homini tribuere non dubitamus. Altera harum est ens incompletum, sui rerumque extra se positarum conscium, & anima dicitur. Altera autem est substantia extensa &c., & corpus audit. Talem hominem & Christum esse, pleno ore confitendum est, quod vel ex sequentibus spiritus Sancti oraculis liquido constat, quæ omnia in quinque classes revocare non pigebit. I. Earum exhibet nomina homini (a) proprie tributa. Dicitur enim discrete homo, 1. Tim. II: 5. Filius hominis, Matth. XVI: 13. Filius Davidis, Matth. I: 1. Primogenitus Mariae, Luc. II: 7. (β) Improperie: Semen mulieris, Gen. III: 15. Abrabæ, Ibid. XX: 18. Germen Davidis, Jer. XXXIII: 15. Leo de tribo Juda, Apoc. V: 5. II. Partes hominis essentielles

tiales. Et quidem (a) animam rationalem, *Matth. XXVI: 38. Luc. XXIII: 46.* (b) Corpus. *Job. II: 21. Luc. XXIII: 55. III.* Proprietates hominis naturales. Quæ concernunt vel totum compositum, ut sunt dependentia & finitudo. Vel alterutram partium, & quidem (a) animam, ut: spiritualitatem *Luc. XXIII: 46.* invisibilitatem, immortalitatem. Vel (b) Corpus, ut sunt: quantitas, locabilitas, palpabilitas, visibilitas, mortalitas, *Job. XIX: 33.* IV. Infirmittates humanas, toti speciei communes. Quales sunt: mœstitia, *Matth. XXVI: 37.* Fames *ib. IV: 2.* Sitis, *Job. XIX: 28.* Lassitudo, *Marc. IV: 38.* Unde circumdatus infirmitate dicitur, *Hebr. V: 2.* V. Operationes humanas. Uti intelligere, velle, sermocinari, ambulare, sedere, dormire. Hinc Apostolus: *In similitudine hominum factus & habitu inventus ut homo, Phil. II: 78.* Quæ omnia in unum collecta, pro validissimo illo argumento expugnandæ Christi humanitatis, sunt reputanda.

## §. II.

**C**Hristus polluit ente incompleto (a), sui (b) rerumque extra se positarum (c) conscio, id est, anima.

Ratio, cum jam Spiritus Sancti testimoniis de existentia Christi humanitatis convinceretur, §. I. non potest non animam Christo tribuere humanam. (a) Quia idem cum corpore aliud tertium, scilicet Christum hominem, constituendum est ordinatum. (b) Christus cognoscebat se ipsum, tanquam vitam ponentem, esse diversum ab ovibus, pro quibus vitam poneret, *Job. X: 27.* Ergo sui sibi conscius erat. (c) Repræsentavit quoque sibi idem Servator panem a vino diversum esse, *Matth. XXVI: 26, 27.* ideo & rerum extra se positarum sibi conscius extitit. Hinc est, ut anima  
vere



vere humana ipsi debeatur. *Αψυχοι* igitur, seu *ψυχοφθοεσι*, qui inscitias suis anathematizatis inhærent, jam erubescant & sciant, denegata anima, veritatem quoque de humanitate Christi vera, immo & de expiatione peccatorum per Christum facta, cui tota salus nostra innititur, non posse non negari, atque plane eversum iri.

## §. III.

**A**nima Christi gaudebat origine.

Mentem Servatoris ortum traxisse nullus dubitet, nisi insimul putet illam Deo coæternam fore, quod nefas esset. Ast de modo, quo id fieri potuit, nihil certi definire valet ratio. Multifarie quidem de hac re disputare solent *Eruditi*, quorum alii per creationem, alii per traducem, alii per generationem ex Maria citra traducem, ortam esse contendunt. Cuncta vero si accurate ponderentur, fatendum est, nullam excogitari posse sententiam, quæ non magnis involuta sit difficultatibus; adeoque animæ Christi originem, uti & totam ejus incarnationem, *1. Tim. III: 16.* inter mysteria referendam esse. Tutior tamen eorum est sententia, atque Scripturæ S. convenientior, qui animam Christi, per generationem ex Maria Virgine, una cum prima corporis delineatione, suam accepisse dicunt existentiam. Qua de re, uti & aliis sententiarum divortiis; *Cel. Job. Franc: Buddens in Inst. Theol. Dogm. Libr. 4. Cap. 2. §. 5. & Cel. Theod. Crygerus in Theol. Mor. Christi & Renat. Cap. 2. §§. 21-25.*

## §. IV.

**C**hristo competit anima humana §. II. (a),  
hinc & ipsi adscribantur facultates ejus (b).

(a) Ipsa Christi anima ponitur hic loco totius & facultates ejus sumuntur, tanquam partes, totum illud constituentes. Christo debetur jam anima, utpote totum, ergo & facultates animæ, tanquam partes ejusdem, scilicet potentiales. (b) Dicuntur quoque potentia activa, & absolvuntur possibilitate agendi. Hæc quidem vis animæ, etsi in se unica sit, tamen respectu duorum mentis actuum, ope quorum res vel cognoscitur, vel appetitur & averfatur, in duas facultates generales dispeSCI solet. Quarum illa cognoscitiva, hæc autem appetitiva & averfativa audit. Harum vero utraque speciales suas habet facultates, quæ in illa, quoad idearum claritatem, in hac vero quoad boni vel mali quantitatem, inferiores & superiores dicuntur.

§. V.

**E**Rgo facultates sentiendi (a), imaginandi (b), & fingendi Christo sunt tribuendæ. (c)

(a) Servator noster objecta corpori suo præsentia, vi sensuum externorum, & quæ ipsius animæ infuere, ope sensus interni, sibi met representare potuit. Etenim *viavit*, Matth. VIII: 14. *Audivit*, Marc. V: 36. *Gustavit*, Matth. XXVII: 34. *Olfecit*, Marc. XIV: 3. *Tetigit*, Luc. V: 13. At a sensationibus ad ipsam sentiendi facultatem tuto concludere licet. Ergo Christus gaudebat facultate sentiendi. (b) Idem Salvator res absentes, olim autem sensibus externis obvias, sibi met representavit. Hocque effecit, ut dum unum illorum decem, quos ante intuitus sanaverat, gratias sibi agentem vidisset, interrogaret: *ubi sint novem?* Luc. XVII: 17. Hinc & facultate imaginandi instructus fuerit. (c) Christus phantasmata componendo & dividendo produxerat no-

vum phantasma rei sensu nunquam perceptæ, uti multitudo parabolarum a Christo allatarum satis superque demonstrat. Inter quas & referantur de virginibus decem, *Matth. XXV: 1.-13.* Et de seminatore, *Luc. VIII: 4.-11.* &c. Ideoque facultas fingendi ipsi debeat.

§. VI.

**C**Hristus polluit attentione (a), reflexione (b), memoria (c) & intellectu profundo. (d)

(a) Mediator noster fecit, ut una idea alterâ clarior evaderet. Hoc evenisse vides, cum sicum, licet floridam, fructibus tamen destitutam, immo demum siccam, observasset, *Marc. XI: 13.* Ergo non caruit attentione. (b) Servator utique ideas partiales in toto obvias, sigillatim atque successive perpendere sœvit. Cum enim parabolam de seminatore discipulis coram explicaret, *Matth. XIII: 3.-19.* ita modo Seminantis, modo feminis atque agri mentionem fecit. Fuit igitur reflexionis compos. (c) Salvatorem quoque ideas, & res per easdem representatas recognovisse, vel exinde patet, quod cæcum, quem denuo inveniebat, cognoverit eundem esse, quem ante visu donaverat, *Joh. IX: 1.-38.* Memor quoque extitit Dei, angelorum, animæ & conceptuum universalium, generum nempe & specierum. Memoria itaque erat ornatissimus. (d) Hunc Jesum etiam non distincte minus quam mirifice representasse res, vel ipsi Judæorum sapientes agnovere, *Luc. II: 47.* Ergo profundo exornatus fuit intellectu. Qui etiam in Christo homine, qua objectum ejus, purus & impurus est concipiendus. *Priori* namque animam suam & ejus operationes, multaque alia a sensibus externis remota distincte cognosce-

bat. *Posteriori* autem sensibilia externa sibi distincte repræsentabat. Ast qua modum repræsentandi, intellectum ipsius non purum sed impurum habeas. Etenim ille soli Deo omnia possibilis distinctissime, actu simultaneo, repræsentanti erit tribuendus. *Hic* autem debeatur, necessum est, finitæ ipsius animæ, cujus distinctis ideis eatenus admixtæ fuere confusæ, quatenus polluit sensibus objecta in se confuse nobis offerentibus. Cui quoque ignorantia rerum, absoluta & relativa, sive invincibilis & vincibilis, est addenda, quam cum laborasse vel exinde notescit, quod ille, veluti finitus, analysin notionum in infinitum nequiverit instituire. Et id licet in summo gradu celerrimeque factum sit, illud tamen, quoties occasio tulerit, successive fieri debuit. Cave quoque, ne abs hoc illam idearum obscuritatem removeas, quam ipsi, uti reliquis infantibus, ætatis teneritatem tulisse putes. Conf. *Luc. II: 40, 52. Phil. II: 78. Hebr. II: 14.*

## §. VII.

**H**inc menti Servatoris debeantur & tres intellectus operationes.

Harum I. est simplex rei apprehensio, qua objecta menti quomocumque oblata, absque affirmatione & negatione repræsentabat Servator. Ut: *Job. Baptistam, Petrum, &c.* De hac ideisque in Christo hom. prolixius conf. *Cel. Theod. Crygerum, Theol. Mor. Cap. 3. Sect. §. 6. - 12.* II. Est iudicium, quo duas ideas sibi invicem, vel convenire vel repugnare perspiciebat. Quod vel intuitive vel discursive factum, ex ipsis orationibus a Salvatore iuste & voluntati Patris conformiter editis, *Job. V: 30.* colligere licet. III. Denique est ratiocinatio, qua ex duobus iudiciis notionem

com-

communem habentibus tertium eliciebat Servator. Illud plurimi ipsius contestantur syllogismi, quos Salvatori, in veritatibus suis demonstrandis, licet non formaliter, materialiter tamen, adhibere libuerit, conf. *Matth. XXII: 41.* cum *Pf. CX: 1.*

§. VIII.

**C**hristo summum ingenii (a) rationisque (b) gradum fuisse, nemo dubitet.

(a) Christum similitudines rerum facillime promptissimeque observasse, est, quod vel ex parabolis, *Matth. XIII:* & aliis plurimis, a Servatore, in comparationem rerum spiritualium cum corporeis, institutis, quam maxime elucet. Quare ingenium in summo gradu ipsi tribuetur. (b) Servator in ratiocinando veratissimus, §. VII. n:o III. non potuit non rerum nexum perspicere. Quamque suam perspicentiam, nulla licet arte atque institutione excoluisset, *Job. VII: 15.* exercuit tamen solertissime. Hinc vides, quod ratione summa fuerit instructus.

§. IX.

**C**hristus polluit appetitu sensitivo (a) & averfatione sensitiva. (b)

Eviatum est §. VI. (d) Animam Servatoris ideis obscuris & confusis non caruisse. Inde fieri potuit, ut bonum malumve sibi confuse repræsentaret, adeoque, coorta vel grata vel ingrata sensatione, conatu, bonum illud perceptum secum uniendi & malum cognitum a se removendi, gaudeat. (a) Salvatorem hujuscemodi conatum, rem confuse, ut bonam, cognitam sibimet injungendo exercuisse, dubio

bio caret. Esuriens enim cibum, *Matth. IV: 2.* & sitiens potum, *Job. XIX: 28.* appetebat. Unde, appetitu sensitivo polluisse, non est negandum. (b) Tadiofa illa, immo dolorum plenissima calicis representatione utique ita adeo fuit affectus, ut illum deprecaretur, *Matth. XXVII: 39.* Hinc illum & averfationi sensitivæ obnoxium extitisse constat.

§. X.

**H**inc nec Christus affectuum immunis est censendus.

Servator polluit appetitu & averfatione sensuali, ideo nec affectuum expertus habeatur. Hi enim sunt non nisi actus vehementiores appetitus & averfationis. Qui respectu objectorum vel gratorum vel ingratorum gemini sunt, amor videl. & odium, primitivique audiunt. Amor Christi consistebat in actuali conatu, quo objectum gratum secum unire nitentebatur. Quod fecit amando DEUM, *Matth. III: 17.* Semet ipsum, *Matth. XXVI: 39.* *Luc. XXIII: 46.* Alios homines, *Job. XI: 5.* 36. Odium Christi, amori ipsius contradistinctum, fuit reclinatio vehementior, qua objectum ingratum a se remove re studuit. Effecit & hoc, dum *Nicolaitarum* doctrinam odisset, *Apoc. VI: 15.* osurusque erit damnatos, *Matth. XXV: 41.* Affectus ejus derivativi sunt modificationes amoris atque odii. Quales sunt: Læritia, *Luc. X: 21.* Tristitia, *Matth. XXVI: 38.* Misericordia, *Ibid. IX: 36.*

§. XI.

**C**hristus appetitu (a) & averfatione (b) rationali est gravifus.

Salyator polluit intellectu profundo. §. VI, ergo bonum

num & malum sibi met distincte repræsentare valuit. (a) Hinc & in anima ipsius non potuit non oriri propensio, qua rei, ut bonæ distincte cognitæ, unionem quærere studebat. Affectabat utique & inclinatione naturali Servator, ut voluntati divinæ, mortem pro hominibus vicariam subeundo *Matth. XXVI: 39.* satisfaceret, & salutem generi humano restitueret. Ideo est, ut ipsi appetitum rationalem tribuas. (b) Ex distincta mali cognitione in mente ipsius exoriri non nequivit reclinatio, qua rem distincte cognitam, ut sibi malam, a se depelleret. Index rei vel illud erit, quod non suum, sed Patris arbitrium exsequens *Matth. XXVI: 39.* suo satisfaceret officio, & mala distincte cognita, uti ab hominibus in æternum perpetienda, removeret. Ergo & averfationis rationalis compos fuerit.

## §. XII.

**C**hristus habuit voluntatem sanctam (a) & libertatem. (b)

(a) Appetitum & averfationem rationalem, quales & Servatori in §. XI. tribuimus, uno voluntatis nomine insignire solent Psychologici. Quæ consideratur, vel respectu facultatis, & est potentia mentis activa inclinandi se versus objectum distincte cognitum, ut bonum, & ab illo reclinandi, quod sibi, uti malum, distincte repræsentat. Vel respectu actus spectatur, quo anima semet ad rem distincte cognitam, tanquam bonam, amplexandam, & malam distincte perceptam repudiandam, determinat. Ille volitio, hic autem nolitio, audit. Utrumque horum verba Servatoris agonizantis involvunt: *Non sicut ego volo, sed ut tu vis, Matth. XXVI: 39.* Adde: Salvator a peccato, tum originali, *Luc. I: 31.* tum actuali, alienissimus, *2. Cor. V: 21.*

*H. br. VII: 26.* bonum malumve distincte cognoscebat, §. VI. (d). *Illud appetebat, hoc averfabatur*, §. XI. adeoque volens nolensque voluntati divinae conformiter agebat, *Joh. IV: 34. XV: 18.* Ergo sancta gavifus est voluntate. (b) Christum etiam poluisse facultate, qua sponte se determinavit, ut illud ex pluribus objectis sibi possibilibus distincteque cognitis eligeret, quod ipsi maxime arrisit, liquet ex eo, quod probe novisset *eligere bonum & omittere malum*, *Es. VII: 15.* Quodque a se habuerit potestatem *animam suam ponendi & recipiendi*, *Joh. X: 18.* Quo circa illum ex deliberatione atque complacentia vitam suam, tanquam minus bonum, reparandae hominum salutis, velot majori bono, postposuisse vides. Libertatis igitur expers non extitit Servator.

§. XIII.

**A** Nima Christi fuit immortalis.

Menti Servatoris, ob cognitionem sui rerumque extra se positarum, §. II. assignari debet essentia simplex omni carens extensione, magnitudine, figura, divisibilitate & destructibilitate. Unde difficile non erit judicatu, illam omni vi finita & interna & externa esse liberam, quae vim illam destrueret, qua anima Servatoris semet sentit & tendit perpetuo ad suam & status sui perfectionem. Nec putes, quod DEUS velit, ut illa annihiletur, sed potius ut in aeternum conservetur, & versetur in eo statu, quo ideas distinctas, voluntatem, libertatem atque memoriam sui retineret. *Luc. I: 33. XXIV: 44. Joh. XIX: 30. Rom. VI: 9, 10.* Ergo anima Christi fuit immortalis.

§. XIV.



§. XIV.

**A** Nima Christi fuit nostræ animæ similis.

Hæc similitudo est derivanda ex illis circumstantiis, quæ animæ Christi & nostræ sunt communes. Colligitur itaque illa I:º ex ortu animæ, quam Servator *materialiter* a Maria duxit, §. III. II:º Ex ipsa essentia, quæ finita & spiritualis est, consistens in perpetua sensatione sui & tendentia ad suam & status sui perfectionem. III:º Ex facultatibus animæ ejusque effectibus, §. §. V.-XII. IV:º Ex immortalitate animæ §. XIII. Hæ & nostræ competunt animæ. Ergo anima Christi fuit nostræ animæ similis. *Phil. II: 78.*

§. XV.

**A** Nima Christi est ornata summa excellentia.

Dignitas atque excellentia mentis Christi quanta quanta sit, per se tamen non infinita, uti DEI, sed finita est censenda. Est quidem, quod hæc in *foro Metaphysico*, perfectioni spiritus in se completi, qualis angelus est, postponi mereatur, est in *Theologico*, præstantiam angeli tanto celsius superat, quanto excellentius præ ipso sortita est *nomen illa*, *Hebr. 1: 4*. Quæ quoque unione cum persona τὸ λόγος ejusque idiomatibus est dignata. Illam autem nostræ animæ multis parasangis perfectione antecelluisse, vel exinde liquet: I:º Quod ortus ejus fuerit miraculosus, a *Spiritu Sancto superveniente & virtute altissimi obumbrante* profectus, *Luc. 1: 35*. II:º Quod facultates ejus operationesque extiterint prorsus mirandæ, tantæque perfectionis, quantæ unquam

quam capax esse potuit anima humana. Idque ideo, quod operi pro genere humano expiatorio perficiendo fuerit a Deo oblata, *Matth. XX: 28.* III:o Quod his naturalibus superaddita fuerint supernaturalia, qualia fuere: personalitas & infinita Majestas Filii DEI, *Col. II: 9.*, cum perenni influxu Spiritus Sancti, *Luc. IV: 1. & donis absque mensura, P/al. XLV: 8. Job. III: 34.* Quaeque insuper IV:o est amplificata praestito opere mediatorio, *Hebr. II: 9.* & exaltatione *ad dextram DEI, Marc. XVI: 19.* Ex haftenus itaque dictis jam utique saniorum omnes judicent, CHRISTUM mediatorem polluisse anima vere humana, excellentia splendidissima, ornatissima. Erubescant igitur omnes, quotcumque huic plusquam immortalis admiratione dignissimae veritati vel furore infernali obtrectare, vel de illa plane stupenda nugis balbutire, sunt ausi. Erubescant, inquam, & obmutescant, revelationemque sanctam in verbo atque rationem juste consulere discant, ut ab illis, aequae ac omnibus, quotquot vel in caelis & super terra, vel in inferis sint, detur Nomini JESU cum orbis Conditor & Sancto mortalium Paraclito, summus timor & nunquam terminanda

GLORIA.

